

dum Rhodum contendit, et recta gymnasium devenit, ibique de philosophia disputans, muneribus est donatus: ut non tantum se ornaret, sed etiam eis, qui una fuerant, vestitum, et caetera, quae opus essent ad victimum, praestaret. Quum autem ejus comites in patriam reverti voluisent, interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit dicere: *Eiusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quae etiam e naufragio unà possent enatare.* Namque ea vera sunt praesidia vitae, quibus neque fortunae tempestas, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vastatio potest nocere.

2. Theophrastus hortandos doctos potius esse, quam pecuniae confidentes, ita ponit: *Doctum ex omnibus solum, neque in alienis locis peregrinum, neque, amissis familiaribus et necessariis, inopem amicorum, sed in omni civitate esse civem: difficilesque fortunae, sine timore, posse despicere casus.*

Omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis; Atheniensium non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudissent. Omnia enim munera fortunae quum dantur, ab ea facillime admuntur: disciplinae vero conjunctae cum animis, nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae. Itaque ego, inquit Vitruvius, maximas infinitasque perentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes, me arte erudiendum curaverunt, et ea, quae non potest esse probata sine litteratura, encycliaque doctrinarum omnium disciplina.

3. Multi ex iis Atheniensibus, qui, accepta magna clade in Sicilia, domum reverti sospites potuere, adierunt Euripidem, se ei salutem suam debere confitentes; dixeruntque, alios fuisse emissos e vinculis, quod edocuissent dominos suos quaedam ipsius carmina, quae memoria